

ARTICULUS VII.

Missa pro quibus celebrari possit, et pro quibus non.

SUMMARIUM.

1. Missa potest offerri pro sacerdote ipso, et pro omnibus aliis fidelibus. — 2. Potest offerri etiam pro peccatoribus. — 3. Etiam pro Turcis, infidelibus, hæreticis, et schismaticis potest offerri sacrificium per modum deprecationis, ut ad fidem convertantur. — 4. Sic etiam potest offerri pro catechumenis. — 5. Potest etiam directe offerri pro infantibus. — 6. Missæ sacrificium potissime offertur pro defunctis in purgatorio existentibus. — 7. Non potest autem missa offerri pro defunctis hæreticis, et infidelibus. — 8. Neque pro mortuis christianis certo damnatis. — 9. Hinc missæ non possunt offerri pro iis, qui omnino voluntarie, et compotes sui se occidunt. — 10. Nec pro mortuis excommunicatis. — 11. Pro excommunicatis vitandis, et non toleratis, licet possit offerri missæ sacrificium indirecte, non potest tamen offerri directe. — 12. Licet ipsi excommunicati vitandi essent mortui contriti et in gratia Dei, adhuc non posset pro illis directe missa offerri, donec etiam mortui ritu ceremoniali essent absoluti. — 13. Missæ sacrificium an licite possit offerri pro excommunicatis toleratis et non vitandis, ad n. 14. — 15. Missæ sacrificium an, et quomodo possit offerri pro sanctis? ad n. 16. — 17. Approbatur, et conceditur missa nova ad postulandam gratiam bene moriendi, etc. — 18. An liceat offerre sacrificium pro damnatis: ad n. 20. — 21. Num liceat anticipare ante mortem celebrare, vel celebrari facere missas de requie pro anima sua etc. ibi.

(1. Missa potest offerri pro sacerdote ipso et pro omnibus aliis fidelibus. Ex Apostolo ad Hebræos c. 5, vers. 1 et 3, præcisus his verbis: *Omnis pontifex, ... pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* (2. Potest offerri etiam pro peccatoribus; est enim sacrificium propitiatorium, quale fuit etiam crucis sacrificium pro peccatoribus oblatum, habetur clare ex Trid., sess. xxii, c. 1 et 3, ubi dicitur: « Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ concedens, crimina, et peccata, etiam ingentia, dimittit. » (3. Etiam pro Turcis, infidelibus, hæreticis et schismaticis potest offerri sacrificium per modum deprecationis, ut ad veram fidem convertantur, ut colligitur ex Trid., sess. xxii, can. 3, ubi dicit posse missam offerri pro peccatis, et aliis necessitatibus: sed infidelitas est peccatum (74), et maxima necessitas, adeoq. etc. (4. Sic etiam potest offerri pro catechumenis, ut habetur c. *Apostolicam*, De presbytero non baptizato. (5. Potest etiam directe offerri pro infantibus, ut tenet communis cum Pasqualigo q. 40, ubi refert constitutionem a S. Clemente factam, his verbis: « Infantium Ecclesiæ memores simus, ut Dominus perfectos esse in timore suo ad adultam ætatem perducat. »

(6. Missæ sacrificium potissime offertur pro defunctis in purgatorio existentibus, ut

(74) Intellige non de infidelitate pure negativa, quæ, utique non est peccatum, Vide *Addit. Casinenses* sub verb. INFIDELITAS. (Edit. Casinenses.)

de fide esse definit concil. Trid. sess. xxii, can. 3: « Si quis dixerit missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis; pro peccatis pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. » Et idem repetit sess. xxv, in *Decreto de purgatorio*: « Cum catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris conciliis, et novissime in hac œcumenica synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari, etc. » Ubi præcipit quod missarum sacrificia, aliaque pietatis opera quæ pro fidelibus defunctis ex testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, a sacerdotibus et Ecclesiæ ministris, et aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter et accurate persolvantur.

(7. Non potest autem missa offerri pro defunctis hæreticis, et infidelibus. Greg. III, epist. 1, concil. Lateranens. III can. 27. (8. Neque pro mortuis christianis certo damnatis, ut expresse prohibetur cap. *Pro obeuntibus* 2, caus. 13, q. 2. (9. Hinc missæ non possunt offerri pro iis, qui omnino voluntarie, et compotes sui se occidunt. Nicolaus I, ad consulta *Bulgarorum*, c. 98, causa 23, q. 5, c. *Placuit*. (10. Nec pro mortuis excommunicatis; Leo IV, *Homil. de cura pastoral.* 11, qu. 3, *Si quis episc. aut abbas*.

(11. Pro excommunicatis vitandis et non toleratis licet possit offerri missæ sacrificium indirecte, v. gr. offerendo pro omnibus peccatoribus, pro reductione et conversione hæreticorum, vel impiorum, directe tamen pro ipsis excommunicatis vitandis non potest offerri, et qui offerret, etiamsi generaliter pro illis offerret, nullum in particulari nominando vel determinando, peccaret mortaliter, ut tenent communiter doctores, quia ageret contra prohibitionem gravem Ecclesiæ imponentis excommunicatis vitandis hanc pœnam medicinalem privationis communium suffragiorum, qualis est missa, donec corrigantur, et a contumacia resipiscant, et postea absolvantur: ut habetur cap. *A nobis* 28 et cap. *Sacris* 38, De sentent. excomm., his verbis: « Licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat... ad cor rediens, de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos prius foverat, expugnaverit, non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec si occumbat in hujusmodi bello, sunt absolutiones, vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Deo porrigendæ: nisi cum de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, et juxta cujusdam constitutionis nostræ tenorem, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. » (12. Sic

Innocent. III ex cujus mente, et sensu aperte constat, quod, licet ipsi excommunicati vitandi essent mortui contriti, et in gratia Dei, adhuc non posse pro illis directe missam offerri, donec etiam mortui ritu ceremoniali essent absoluti.

(13. Pro excommunicatis toleratis et non vitandis multi ex doctoribus post concil. Constantiense, et extravagant. Martin. V incip. *Ad evitanda*, sustinent posse licite offerri sacrificium missæ; quia, cum in ipsa extravaganti concedatur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in sacris et divinis; imo et pro ipsis presentibus publice precemur in choro dicendo: *Misereatur vestri*, etc. *Dominus vobiscum*, sequitur posse etiam pro ipsis licite offerri sacrificium missæ; sic sentiunt Navarrus, Henricus, Sanchez, Fagund. Hurtad. Sà, Lugo, Coninch, Pasqualig., et alii passim. (14. Verum, quamvis id licite fiat, simulque tale sacrificium prodesse valeat excommunicatis toleratis, quatenus offertur in persona Christi, non tamen ipsis proderit, quatenus offertur in persona Ecclesiæ, cum Pontifex in præfata bulla expresse protestetur quod per hoc non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

(15. Quamvis missæ sacrificium offerri possit Deo in honorem sanctorum, et in gratiarum actionem pro beneficiis quæ Deus illis concessit, atque ad obtinendam eorum intercessionem apud Deum, ut definit Trident., sess. xxii, cap. 3, his verbis: (16. « Quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit: unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. » Et *ibid.*, can. 5: « Si quis dixerit, imposturam esse missas celebrare in honorem sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit. » Nequit tamen offerri pro ipsis sanctis, ut habetur decisum cap. *Cum Marthæ*, § *Tertio loco*, De celebrat. missar., quia ut ibi dicitur: « Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. » Et sancti in cœlis « orationibus nostris non indigent pro eo, quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt. »

(17. Approbatur et conceditur pro Ecclesia universali missa nova ad postulandam gratiam bene moriendi, ponenda in missali post missam *pro remissione peccatorum*, et in Rubricis generalibus in tit. *De color. paramentorum*, sub colore violaceo, ac præterea in gradualibus ad cantum chori in eodem

(75) Lubet hic afferre integrum textum Petavii, qui sane mutilus hic supra ponitur, dum sic concludit: « De hac damnatorum saltem hominum respiratione, nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia catholica: ut propterea non tenere, tanquam absurda, sit explodenda sanctissimorum Patrum hæc

cantu et tono, qui in antiquis habetur feria iv post Domin. 1 et Sabbato post Domin. III, in Quadragesima et in Dominicis iv, xvi, xx et xxvi post Pentecosten. S. R. C. 20 Mart. 1706, approbante Clemente XI, die 27 ejusdem mensis et anni.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(18. An liceat sacrificium offerre pro damnatis? Afferit Petavius tom. III *Theology. dogmat.*, lib. III, cap. 8, n. 13, nonnullos SS. Patres, et cum primis D. Augustinum, D. Joannem Chrysostomum, et D. Joannem Damascenum tenentes, per eleemosynas et sacrificia animas damnatorum aliquantulum a pœnis sublevari. (19. At idem Petavius concludit quod, cum nihil hac de questione definitum sit ab Ecclesia, tanquam absurda sit explodenda opinio hæc affirmans posse pro damnatis sacrificium offerri (75). (20. Quin imo refert Albic. *De inconstantia in fide*, cap. 3, n. 12, quod quum quidam concionator exhortando fideles ad erogandas eleemosynas, hanc protulisset propositionem: « Ab eleemosynis pœnas damnatorum aliquantulum sublevari, » re delata ad tribunal S. Inquisitionis, coactus iste fuit se retractare, et hanc resolutionem S. Inquisitionis approbavit ven. Innocentius XI.

(21. Num liceat anticipare ante mortem celebrare, vel celebrari facere missas defunctorum, sive *de Requie* pro suffragio animæ suæ, ut a pœnis purgatorii liberetur? Quæstio hæc fuit alias ad S. congregationem Concilii interpretem delata, sed ab ea non fuit resoluta, ut litteris consignavit Albic. *ubi supra*, n. 37. Afferit autem hic auctor rationes in utramque partem, sed concludit haud posse.

ARTICULUS VIII.

Missa quoad eam celebrantis obligationem.

SUMMARIUM.

1. In sacrificio missæ debent a celebrante offerri panis et vinum aqua mixtum. — 2. Et plus de vino, quam de aqua est ponendum: Vinum enim debet esse plus saltem quoad duas partes. — 3. Nec potest offerri vinum mellitum, vel mulsum, vel aliud. — 4. Panis debet esse triticeus. — 5. Et potest valide consecrari sive in azymo, sive in fermentato, juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem. — 6. Græcus vero consecrans in azymo et Latinus in fermentato graviter peccant: imo Latinus celebrans in fermentato privatur officio et beneficio. — 7. Missam dicens celebrare tenetur juxta missale Romanum. — 8. Tenetur eam prosequi usque in finem, alias excommunicatur, nisi aliquis casus accidat. — 9. Tenetur communicare recipiendo corpus et sanguinem Christi. — 10. Tenetur missam legere, antequam ad altare accedat, et signa præparare, ne erret. — 11. Omnia debet legere et nihil memoriter recitare et neque celerius, neque tardius, quam par est, eam legere. — 12. Debet sinere candelas accensas

opinio; quamvis a communi sensu Catholicorum hoc tempore sit aliena. Et vero maximum adversus illam præjudicium est, quod nunquam Ecclesia pro damnatis orare consuevit: quod profecto faceret si levare saltem illorum cruciatum possent, etsi penitus terminari non possent. » *De angelis*, l. III, c. 8, n. 13.

usque ad finem ultimi evangelii Sancti Joannis. — 13. Debet generaliter et specialiter orare pro vivis, et defunctis. — 14. De calceamentis in accessu ad altare. — 15. Quid circa defectus, qui deprehendi possunt in pane et vino, ante, vel post consecrationem; ad n. 20. — 21. Quanam attendenda de vino, ut sit materia apta; ad n. 25. — 24. Alia a celebrante attendenda, vel præstanda, ad n. 40. — Subnectuntur *additiones ex aliena manu*, ad n. 46. — Expenditur dubium, an aqua, vel alius liquor, post consecrationem immitti possit in calicem absque sacramenti corruptione: ad n. 50.

(1. In sacrificio missæ debent a celebrante offerri panis et vinum aqua mistum; est enim illicitum offerri vinum sine aqua, cum a latere Christi aqua simul cum sanguine exierit, *De consecrat.*, dist. 2, cap. *In sacramentorum*; c. *Si quis in sacrificando*, c. *Non oportet*; Conc. Aurel. IV, cap. 4; Concil. Vormat., cap. 4, et conc. Trid., sess. xxii, cap. 7. (2. Et plus de vino, quam de aqua est ponendum, *De celebrat. missar.*, cap. *Perniciosus*. Vinum quippe cum aqua miscendum debet esse plus saltem quoad duas partes, Conc. Tribur. 1, cap. 19. (3. Nec potest offerri vinum mellitum, vel mulsum, vel aliud, concil. Antissiodoren., cap. 8. Valide tamen consecratur mustum, seu vinum de uvis recenter expressum: at illicite, et cum gravi peccato, quia licet sit verum vinum, nihilominus est impurum et feulentum, adeoque indecens, ut docet S. Thom., quæst. 74, art. 3, ad 3, ex declaratione Julii Papæ in cap. *Cum omne crimen*, *De consecrat.*, dist. 2, ubi tamen conceditur, ut, urgente necessitate, possit consecrari mustum. Similiter si vinum cæperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, usque ad ultimum instans, quo substantialiter mutetur, et fiat penitus acetum, valide consecratur, quia adhuc retinet substantiam, et formam vini, at consecrans graviter peccat propter irreverentiam, quæ sit sacramento, adhibendo vinum semicorruptum quoad qualitates; S. Thom., qu. 75, art. 3, ad 2. Rubrica Missalis part. 3., tit. 4, *De defectu vini*, num. 2. Quarti et Merati, *ibid.*, et alii passim. Si autem urgeat necessitas celebrandi, seu non possit sacerdos absque nota omittere sacrum, ut præsertim inter regulares contingere potest, non peccat sacerdos subditus adhibendo tale vinum aliquantulum acidum, vel acre, quia non tenetur subditus cum notabili incommodo sacrificium illud omittere; et quamvis tali vino uti sit contra reverentiam sacramenti, ea tamen irreverentia non imputatur celebranti, sed superiori vel ministro qui est causa voluntaria illius, præsertim si fuerit monitus, et ob avaritiam vel alium finem, aut quia decipitur, nolit mutare, sed præcipiat adhuc tale vinum apponi. Sic Merati et Quarti, *loc. cit.*, cum aliis. Quid autem agendum sit, si deprehendatur vinum esse factum penitus acetum, vel alias corruptum, sive ante consecrationem, sive post? docet clare dicta rubrica *De defectu vini*; Vide ipsam per tot. (4. Panis debet esse triticeus. Concil. Carthagin., cap. *In sacrament.* 3, *De consecrat.* 3, dist. 2; Eugen. IV,

in Decreto unionis in concil. Florentino. (5. Et potest valide consecrari sive in azymo sive in fermentato, juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem, ut declaravit Eugen. IV *in Decreto unionis in concil. Florent.*, sess., xxv, in fine, his verbis: « In azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. » (6. Græcus vero, consecrans in azymo, et Latinus, in fermentato, graviter peccant ex eodem concilio Florent. et S. Pio V, constituit. incip. *Providentia Romani Pontificis*. Imo Latinus celebrans in fermentato privato officio et beneficio, Honor. III, in cap. *Litteras 24*, *De celebr. miss.*, his verbis: « Cum igitur, vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus quatenus officio et beneficio perpetuo ipsum prives. » (7. Missam dicens celebrare tenetur juxta Missale Romanum, ex forma et jussu concil. Trident. institutum; S. Pius V, constit. 106, incip. *Quo primum*, et juxta formam præscriptam ab Ecclesia Romana. Concil. Bracarense I, cap. 22, et concil. Trident. sess. xxii, in decret. *De obser. et vitand. in celebr. missæ*.

* Sunt audaces quidem novitatum amatores, qui vel in ipsa Italia non verentur Missale Romanum subterfugere, cum tamen Romanus Pontifex, non solum primatis jure, sed etiam patriarchali potuerit Occidentis Ecclesiis Missalis formam præscribere, ut nuper ostendit eruditus presbyter Franciscus Antonius Mondellius in præclaro, quod edidit Suessionensis archiepiscopi Langueti opusculo, *De secreta canonis pronuntiatione* *. (8. Tenetur eam prosequi usque in finem, alias excommunicatur, nisi aliquis casus accidat. Conc. Rom., sub. Zacharia, c. 14, Post epist. 2, *Soter*. (9. Tenetur communicare recipiendo corpus et sanguinem Christi *De cons.*, dist. 2, c. *Relatum est*. Leo IV, *Homil. de cura pastoral.* (10. Tenetur missam legere, antequam ad altare accedat, et signa præparare, ne erret. (11. Omnia debet legere et nihil memoriter recitare, et neque celerius neque tardius quam par est eam legere. Concil. Mediolanen. I, part. II, tit. *Que pertinent ad celebrationem missæ*. (12. Debet sinere candelas accensas usque ad finem ultimi evangelii S. Joannis, ex eodem concil. Mediolanen. *ibid.* (13. Debet generaliter et specialiter orare pro vivis et defunctis, *De consecr.*, dist. 1, cap. *Visum præterea*, Concil. Cabilonens. II, cap. 39. (14. Sacerdos calceatus pedibus debet accedere ad altare, ut præscribit Rubrica Missalis part. II, tit. 1, n. 2, *De præparatione sacerdotis celebraturi*; ibi: *Calceatus pedibus*, quod volunt esse præceptum. Silvester verb. *Missæ*, et Sotus in 4, dist. 13, quæst. 2, et alii; et Ordo Romanus *De Parasceve*, dicit non licere presbyterum, diaconum, vel acolythum ad altare ministrare per nudos pedes. At vero non nisi ad majorem honestatem et decen-

tiam hoc præscribi dicunt Suarez, in part., disp. 82, sect. 3; Quarti, et Gavant., *loc. cit.*, et alii. Neque quod sacerdos calceatus ad altare accedat, vacat mysterio, juxta illud Apostoli ad Ephes. VI: *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*, id est cum animo parato, prompto, et expedito ad Evangelium pacis profitendum, vita exprimendum, et ad alios deferendum, ut ex Chrysost. et Theophil. recte docet sapientissimus Tirinus in cit. cap. VI ad Ephes., n. 15: « Qui enim calceatus incedit, audaciter, intrepide, et expedite progreditur; at vero qui nudus est pedibus ægre, timide, tarde, nec nisi suspensio gradu procedit; » hinc doctissimus P. Gavantus in cit. part. II, tit. 1, rubrica 2, litt. X, apud eruditissimum P. Merati, *ead. loco*, recte concludit, quod laudandi sunt clerici regulares sui præclarissimi ordinis, qui in sacristia deponunt etiam communes crepidas, seu calceos et alias ibidem ad id paratas crepidas induunt ad majorem nitorem, et sacri ministerii splendorem; quod et observari competentum est in pluribus provinciis et conventibus nostri seraphici ordinis, nec non in pluribus aliis.

(15. * Quid statuendum, si contingat defectum aliquem deprehendi vel in pane, vel in vino consecrationis, ex rubrica repetatur; quæ mandat, si forte accidat, ut post sumptionem sanguinis animadvertatur primo hostia inepta sacrificio, resumendum esse novum panem, et vinum cum aqua, et verba consecrationis super utrumque repetenda, sumpto initio ab illis verbis: « Qui pridie quam pateretur, » facta tamen utriusque oblatione. Sunt quidem qui putant sufficere hostiæ tantummodo consecrationem; at tunc « debitus ordo non servaretur; » quæ altera est ex duabus causis, ex quibus rubrica utriusque consecrationem mandat. Quare rubricæ parendum. Ben. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 15, § 2.

(16. Si vero post consecrationem, sumpta jam hostia, cognoscat vinum ineptum fuisse ad consecrationem; tunc nova hostia, novumque vinum apponendum est, novaque utriusque consecratio facienda. Id utique censet S. Thomas, ejusque discipuli. Sed post reformatas sub Clemente VIII rubricas Missalis legitur in illis expressum: si missa celebratur in loco publico coram multis, ad scandalum evitandum sufficere, si tantummodo apponatur novum vinum cum aqua, et

(76) e Gibertus, *Consult. can. de sacr.*, consult. 5, *De sacrif. missæ*, casum proponit, si clericus ex ædituis, qui sacrario inserviunt, partem hauserit vini, quod ad missas paratum erat et pro vino assumpto substituerit aquam, quo fiat, ut presbyter, accepto calice, sentiat plus inesse aquæ quam vini; queritur, utrum, quæ facta est consecratio, valida sit, an vero opus sit, novo accepto vino exigua aqua diluto, consecrationem iterare; et respondet, in sacramentis mutationem materiæ non esse substantialem, nisi pro materia, quam Christus instituit, alia prorsus materia adhibeat, quæ illum destruat. Cum itaque vinum propria calicis materia sit, negat mutationem esse substantialem, nisi pro

facta oblatione consecratur, statimque sumatur. *Ibid.*, § 3, 4, etc. (76).

(17. Defectus si occurrat in pane, et vino, deprehendaturque ante consecrationem, nova materia apta apponatur; si post consecrationem, missa omitti tuto potest; si post sumptionem, necessario omittitur, nisi forte multitudo adesset missæ audiendæ; quo in casu posset sacerdos submissa voce preces aliquas recitare, quæ ad illam partem missæ non pertinerent, et benedictionem populo impertiri. *Ibid.*, cap. 15, § 9.

(18. Si aqua infusa calici non sit, idque ante consecrationem agnoscat, infundatur statim; si post consecrationem, missa peragenda est. *Ibid.*, § 10.

(19. Si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur vinum, et novum apponatur. Si post consecrationem, illud, quidquid est, extrahatur, lavetur, et comburatur, et ablutio cum cineribus in sacrario reponatur. Ita ex S. Thoma; *ibid.*, § 10.

(20. Si vino immistum venenum deprehendatur ante consecrationem, idem quod prius servandum est; si post consecrationem, in aliud vasculum transfundatur, et tandiu servetur, donec species vini fuerint exsiccatæ, et aliud vinum consecratur, ut ex S. Thoma, *ibid.*

(21. Vinum acescens non est adhibendum in missa; si tamen id fiat, conficitur sacramentum; nec peccant regulares, qui celebrare debent, nec habent auctoritatem vinum commutandi, id enim peccati ligat eorum superiores, ut ex Quarti et Merati adnotatur *Institut. eccles.* 77, § 2. Vinum, quod ex aqua conficitur botris superinjecta, quale a Latinis prisca lora, seu lorca dicebatur, ineptum est ad sacrificium, ut ex theologis firmatur. *Ibid.*, § 4.

(22. Vetitum est sub peccato gravi adhibere vinum illud dilutum, quod ex musto, et aquæ æquali vel fere æquali quantitate conficitur ut ex theologis. *Ibid.*, § 6.

(23. Licitum est tamen adhibere in eam rem vinum, quod ex modo illud conficiendi in regionibus aliquibus habet aliquid aquæ admistum, est enim vinum usuale. *Ibid.*, § 7.

(24. Si guttæ vini reperiantur extrinsece in cappa calicis, censeantur non consecratæ et abstergantur purificatorio. Si interius, tutius censeantur consecratæ, et per secundam purificationem assumantur. *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 17, § 7.

vino adhibeatur aqua, aut tantum aquæ in vinum infundatur, ut destruat vinum naturam. Porro et illud advertit, ad inducendam substantialem mutationem, ad quam, ubi de validitate disceptatur, unice respiciendum est, non satis esse, quod plus aquæ quam vini in calicem sit infusum: ejusmodi enim esse potest vinum, ut robore suo resistat, et propriam servet naturam, quamvis aquæ mensura longe major sit; palatum autem verius, quam oculos posse judicare, suam naturam vinum retineat, licet plus aquæ infusum sit. » Apud Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 10, n. 17. (*Editores Casin.*)